

Las cortes de Barcelona en 1327 y un opúsculo técnico sobre la defensa de las fortalezas, atribuido al rey D. Alfonso «El Sabio».

El texto latino que acompaño y he transcrito del código Escorialense Z. j. 4., esclarece y decide, á mi parecer, la cuestión propuesta por los Sres. Coroleu y Pella nuestros Correspondientes doctísimos¹, y responde á la solicitud de varios individuos de número y honorarios de esta Real Academia, deseosos de ver publicado en toda su extensión, ó *íntegro*, el opúsculo atribuido al Rey Sabio, no menos provechoso á la historia militar que á la literatura caballeresca de aquellos tiempos.

—343—

Fol. 252 vuelto.

Forma fidelitatis faciende domino Regi in inicio sui novi domini et successionis in Regnis et terris suis.

In Christi nomine pateat universis, Quod die Mercurii, intitulata Tercio kalendas Januarii Anno doinini M.º CCC.º XX.º Septimo² Serenissimus ac Magnificus princeps et dominos, dominus Alfonsus dei gracia, Rex Aragonum, Valencie, Sardinie et Corsice ac Comes Barchinone, constitutus personaliter in aula sui Regii Palacii Civitatis Barchiuone, una Cum Comitibus, vicecomitibus, Baronibus Riches hominibus, Militibus et sindicis seu procuratoribus universitatum Civitatum et villarum suarum Cathalonie infrascriptis, in inicio sui novi domini et successionis in Regnis et terris suis firmavit et juravit publice eisdem instrumentum aprobationis et confirmationis sub forma que sequitur.

Fol. 253 recto.

In dei nomine. Noverint universi, Quod Nos Alfonsus dei, gracia Rex Aragonum etc. *Ponatur totus tenor ut supra in proximo instrumento, et postea ita dices:*

Et consequenter Infrascripti Comites vicecomites barones Richi homines milites et Sindici seu procuratores

universitatum Civitatum et villarum Cathalonie, ibidem personaliter constituti nominibus antedictis juraverunt super Crucem domini nostri Jhesuchristi et eius Sancta Quatuor Evangelia manibus eorum corporaliter tacto, fidelitatem eidem domino Regi ut Comiti Barchinone, et ex virtute juramenti predicti promiserunt esse semper sibi fideles solidi et naturales vasalli, et eidem parere et obedire semper tanquam vero solido et naturali Principe Regi et domino eorum, Et omnia alia facere et servare que fideles solidi et naturales vassalli facere et servare tenentur et debebunt suo principi Regi et domino naturali, Et de predictis etc. De ista fidelitate fuit factum unum instrumentum tantum, quod remansit penes dominum Regem predictum.

—344→

Forma homagii dicto domino Regi prestandi a feudatariis suis de Cathalonia.

In Dei nomine. Noverint universi Quod die Mercurii intitulata tali Calendario et tali anno in presencia mei talis notarii, etc. subscriptorum, Serenissimo ac magnifico principe et domino, domino Alfonso dei gracia Rege Aragonum Valencie Sardinie et Corsice ac Comite Barchinone constituto personaliter in Camera sui Regii palatii Civitatis Barchinone, talis miles, procurator talis, cum instrumento publico per eum ostenso et penes dictum dominum Regem retento, predicto nomine procuratorio fecit eidem domino Regi homagium ore et manibus secundum usaticos Barchinone et consuetudines Cathalonie pro tali feudo sou pro tali Castro quod pro dicto domino Rege tenet in feudum. Qui quidem dominus Rex recepit dictum homagium et investivit ipsum procuratorem eodem nomine procuratorio de feudo predicto, Salvo semper jure ipsius domini Regis et alterius cuiuscunque. Et de predictis tam dictus dominus Rex quam dictus talis procurator eodem nomine voluerunt fieri duo publica instrumenta per litteras divisa, unum videlicet tenendum per dictum dominum Regem et alterum per dictum talem procuratorem nomine antedicto. Quod est actum etc.

Fol. 253 r. -254 r.

Incipit opusculum Reverendissimi ac prudentis viri Ildefonsi, recordationis alte³ Regis dei gracia Romanorum ac Castelle, de hiis que sunt necessaria ad stabilimentum Castri tempore obsidionis et fortissime guerre et multum vicine⁴.

De Castro operando non potest omnino tradi regula generalis, quoniam opus uniuscuiusque Castri habet secundum situm loti maxime ordinari; Sed de hiis que sunt necessaria ad stabilimentum Castri in tempore obsidionis, vel fortissimo guerre et multum vicine, feci hic aliqua scribi⁵ de hiis que ego didici atque vidi.

—345→

Quoniam multa victualia et arma multa et guarnimenta et omnes apparatus Camere et Coquine debent ibi poni in Castro, Scilicet a Sapientibus hominibus scita; verumtamen ad Castrum stabiliendum sunt valde utilia atque apta que diurnitas⁶ temporis acto non consumit, dum tamen convenienti modo servantur, veluti piper oleum acetum et siricum ad cordas ballistarum faciendas, et sal lapideum, ut est sal Cardone. Et de annonis que magis durant, Sicut millium et *adacça*⁷ et glandes durant multum si coquantur in aqua et postea siccantur ad solem. Et de liguis tam ad medelam quam ad opus ignis, que magis durant, Sicut oliva pinus et buxus, *corchus* et abies, etc.

Item debent ibi mitti multum ferrum in massa, et multum Cannabum et multa lana succida, et multa stupa, et multi panni lini⁸, tam novi quam veteris, ad opus vulneratorum.

Item sit ibi medicus chirurgie cum omnibus instrumentis arti necessariis, et unguentis et emplastris; Et ballistarius cum instrumentis arti necessariis; Et *carpintarius* cum instrumentis suis; Et magister lapidum cum instrumentis suis; Et Architectus cum instrumentis suis sibi necessariis, si fieri potest.

Item sint ibi multa teda et multa cera et multe lanterne et multa ferra que excuciant ignem a lapidibus cum omni apparatu suo.

Item sint ibi Mole manuales et quedam Molendina cura turnis ferreis que molunt multam annonam cum viribus paucorum hominum, et *foch alquitrat*, Et *foch grezech*, etc.

Item mel et *sagin* et lardum et *mastich*⁹; et sit ibi multa pix et multe corde, et multum plumbum et multe Cathene.

Et sint ibi domus subterraneae, in quibus stent res huius omnes tute; et omnia victualia sint ibi salva ab ictibus trabuqueti et fundibili etc.

Et sint ibi receptacula in quibus homines se recipiant in adventu lapidum ab ingeniis projectorum.

—346→

Et illi qui in stabilimento erunt missi, sive fuerint milites sive pedites, sive Magistri armorum vel scolares proveci ut repetitores, non sicut Scholares novi.

Item omnes balliste, tam hee que cum turnis habent parari, quam alie, habeant suos apparatus et sibi convenientes secundum magnitudinem et fortitudinem earum. Et ferra Sagitarum, prout debet, sint bene fasta, Quedam ad invadendum scuta et loricas, et quedam ad rumpendum perpuncta et tendas et papiliones, Et communiter homines male armatos, quas vocamus in terra nostra sagittas *carniçeras*. Et omnia ista ferra sint bene astata secundum modum et formam ballistarum; et aste sine bone recte et bone *empanate*.

Item sint ibi multa corita ad opus sotularum et ad opus instrumentorum pandorum ad deffensionem.

Item caveat dominus Castri quod illi qui ad stabilimentum Castri fuerint ab eo electi, sint amici et pacati sui; Quia vassalli Regis deseruerunt ipsum in bello et fuit victus¹⁰, quia semper tenuerat eos oppressos et dispaccatos. Quapropter debet sibi cavere dominus Castri quod quilibet de predictis viris sit naturales suus aut alumpnus vel consanguineus, vel doris aut auxiliis vel quibuslibet beneficiis obligatus, aut concordi et amicabili vicinitate familiaris et dilectus, aut quod sint sibi missi et comodati a talibus personis, qui proinde sint ac si essent naturales sui. Dixit enim Cesar in introhitu belli contra pompey¹¹:

Armeniosne movet Romana potentia, cuius
Sit ducis? aut emptum minimo vult sanguine quisquam
Barbarus Hesperii Magnum proponere rebus?

Postea dixit:

Set me Fortuna meorum
Commisit manibus, quarum me Gallia testem¹²
Tot fecit bellis, etc.

—347—

Item caveat quod non mittat ibi aliquos inimicantes seu invidentes sibi ad invicem publice et aperte.

Item caveat quod non mittat ibi homines sediciosos et

curiosos, vel dedignantur mandari seu castigari.

Item non ponat ibi homines ociosos et mobilibus assuetos.

Item non sint ibi *dadi* nec tabule, nec *squaqui*, qui trahunt homines ad pigriciam et incitant ad rixam; Set ludant cum ballistis trahendis ad Signum, et ludant prohibiendo lanceas atque *dardos*. Lancee, *dardi* et balliste et cetera arma, sum quibus ludent, sint propria domini Castri, ad hoc ut non dubitent arma sua propria devastare.

Item sint ibi Romancia et libri gestorum, videlicet alexandri, karoli et Rotlandi et oliverii, et de verdinio, et de ancillmo *lo danceo*, et de oconell et de bethon et de Coms de macull, et libri magnorum et nobilium belloram et preliorum, que facta sunt in ysperia. Et de hiis animabuntur et delectabuntur.

Item caveat dominus Castri quod Ille quem posuerit super omnes alios, sit homo nobilis genere et animo. Et ideo quia ceteri non dedignentur esse sub eo.

Item sit Ille doctes et assuetos in magnis et arduis actibus et in necessitatibus et in structuris; et sciat apte mandare et placide castigare.

Item si sunt. C. necessarii ad Castrum deffendendum, Trecenti debent ibi poni, si obsides sperant venturos, ad hoc ut cessantibus infirmis aut vulneratis possint satis sufficere ad deffendendum. Et propter ingenia paranda et traenda si ibi fiant, Et pro muris faciendis aut reficiendis, et maxime per hoc ne ipsi obsidione lassarent ipsos, pugnam eis continuum inferendo.

Item non exeant ultra *gurades*, seu *lisses*, ad agendum conflictum seu *faciendam* sum illis de obsidione, Quia plus nocent obsessis una plaga vel mors unius quam obsidentibus Centum.

Item et quia plura Castra sunt amissa quia illi de stabilimento Castri exhibant ad conflictum son ad *fasendam*, et Illi de obsidione ponebant se inter ipsos et Castrum, et erant ibi mortui seu capti et Castrum amissum.

Item nullus homo seu mulier intret Castrum, quamvis aferat cartam vel *engenia*, vel veniat interrogaturus utrum velint eum —348→ retinere pro servitute, vel tanquam vehitans ad eos *dispacta*¹³ et tanquam conquerens de adversariis domini dicti Castri, vel interrogaturus utrum talis homo vel mulier fugierint ad ipsos, vel utrum velint tales emere si cas afferret, vel quacunque occasions veniant; quia ibi prefatis modis veniunt *baratatores* seu exploratores, quos nos vocamus in terra nostra *spies*.

Item si obsidio ibi fuerit vel speratur in brevi ventura, non exeat locutum aliquis de Castro cum aliquo de obsidione, seu etiam cum consanguineo vel amico suo, nisi *alcaudus* Castri, vel socii¹⁴ *alcaudi* quos *alcaudus* tradiderit, audiant omnia que dicta fuerint ei. Nec recipiat aliquis cartam ab aliquo sibi missam sine licencia *alcandi*, qui faciat legi coram se dictam cartam.

Item *guayte*, seu *veytle*, non exeant extra Castrum, nec pro lignis apportandis nec in aliquo modo alio.

Item eligantur Octo de fidelioribus, qui bini quater in nocte excitent et refoveant dictas *veytlas*.

Item caveant sibi Illi de stabilimento ne respondeant insimul ad orationem que fit in Castris in introhitu .i. in Crepusculo¹⁵, quam orationem nos vocamus in terra nostra *bonbay*¹⁶; quia in generali vociferatione omnium possent perpendere illi de obsidione diminutionem eorum per infirmitates vel vulnera vel per mortes.

Item sint muri Castri alti valde, et lapides minuti ultra numerum supra muros, quia prohibiendo dictas lapides minutos deffenduntur muri miro modo; Et quia scale non possint firmari supra dictas lapides minutos, nec manus hominum qui ascendere vellent supra muros.

Item sint in dicto Castro culmerie¹⁷ apromptu in loco tuto ab ingeniis, et loca ad Columbos similiter.

—349→

Item sint ibi Orti, in quibus possint esse caules, et porri et cepe, aut ad minus allia, menta, salina, et petrossillum, et celliandrum et erbe medecinales.

Item sint ibi domus, in quibus arma et *guarnimenta* stabilimenti stent salva in loco convenienti et mundo. Et dicte domus sint bene *serrate* cum clavibus, ita quod Illi de stabilimento non possint ibi intrare nisi in simul cum *alcaydo* quando neccessitas incumbuerit; Quia si dicta arma et *guarnimenta* starent in loco communi, cito essent destructa et perdita et inveterata, propter homines qui in mirando et templando et discoperiendo et ludendo et revolvendo tractarent ea tota die.

Item sint ibi canes bene vigilantes, et anseres et pahones ponantur in locis per quos facilius potest ascendi ad Castrum. Et sint ibi vites, quia si forte uve non pervenerint ad maturitatem propter altitudinem et frigiditatem loci, habebitur ibi agreste; set dicte vites non plantentur nec mittantur circa muros Castri.

Item sint ibi *bade*¹⁸ et maxime in tempore nubiloso; et, nebula multum spissa, fuerint etiam dicte *bade* et aliqui alii

de stabilimento per muros tota.

Qualiter autem *columbi*, qui *cartas defferant*, mittantur; et qualiter agant illi de Castro si sol eis defuerit; et qualiter se properent contra foveas et Castella lignea et contra trabuqueta fundibula et certa ingenia; Que opera fiant in Castro ad ipsum latenter et insperate recuperandum, si aliquo tempore amissum fuerit, vi vel fumo; Et qualiter patent quamplura alia que sunt conveniencia ad obsessos; et qualiter aque Cisternarum possint munde et sane servari, et vina clara fieri, et reparari; Et qualiter arma et *guarnimenta* a rubigine et tinea custodiri, Et Carnes salse a vermibus et *arnis*¹⁹ mundari; et quamplura alia ad dictas res Castrorum pertinencia preparari et renovari, longa mora esset hec omnia enarrare. Sed ad presens sufficiant que sunt scripta.

Madrid, 13 de Diciembre de 1859.